



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 48. Donatio Mathildis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Francia magno emolumento adbibere po. Sæculum XI.
 teris. Manasses cuiusdam Magnatis A.C. 1077.
 ejusdem nominis, Remis Vicedomini,
 erat filius, qui post annos exinde viginti
 ejusdem civitatis Archipræsulatum con-
 secutus est. Brunonem Coloniæ natum
 jam tunc Doctrina & virtus commenda-
 bant, virum postea celebratissimum. Hi
 duo præcipui accusatores Manassis Ar-
 chiepiscopi erant. In fine epistolæ Hu-
 go Cardinalis dicit, se Concilium Picta-
 vii decima quinta Januarii celebratu-
 rum.

§. XLVIII.

Donatio Mathildis.

Brevi post acceptam absolutionem Hen-
 ricus Rex, simulans, se cum Ponti-
 fice iterum colloqui cupere, & ipsum &
 Mathildem Comitissam in suam potesta-
 tem paratis insidiis redigere cogitabat, *Domnizo.*
 sed Mathildis per suos monita cum Pon-
 tifice celeriter in montes munitissimos se
 recepit, & ex illo tempore Henricus nec
 Papam nec Mathildem amplius vidit.
 Ipsa per spatum trium mensium Papam *Chron. Caff.*
lib. 3. c. 49.
 apud se detinens, editis publice literis,
 omnes Ditiones suas, quæ Tusciam &
 Longobardia partem complectebantur,
 Ecclesiæ Romanæ, servato sibi usufructu,
 donavit, & quoad vixit Gregorium Pa-
 pam omnibus viribus defendit. Papa
Hist. Eccles. Tom. XV. Aa eam

Sæculum XI. eam mense Majo reliquit, Romam redi-
A.C. 1077. turus, amissa omni spe in Germaniam
proficisci; sed iter faciens in variis
locis moratus est, quod ex die multis
epistolis apposita dispicimus, nec ante
mensem Septembrem Romam pervenit.
Venienti Pontifici obvium se inferens
populus magnam lætitiam, præcipue ob
Mathildis donationem, professus est.

§. XLIX.

Res Franciæ.

Lib. V. ep. 8. Gregorius Papa post redditum epistolam
scripsit ad Richerium Archiepisco-
pum Senonensem, Richardum Bituricen-
sem eorumque Suffraganeos datam, in
qua dicit: *Scitis, quam contumax Rai-*
nerius Episcopus Aurelianensis in Sedem
Apostolicam extiterit, eaque crimina, quo-
rum accusatur, non ignoratis. Dicitur
siquidem, legitimam ætatem non habens
contra Decreta Sanctorum Patrum banc
Ecclesiam, a Populo Clericisque valide
non electus, invasisse, & Archidiacono-
rum Abbatumque Dignitates per nego-
tiationem contulisse. Ter eum vocavi-
mus ad causam dicendam; sed ipse ne qui-
dem alium misit, qui ejus nomine aliquam
absentiæ causam referret. Postquam ve-
ro eum suspendimus & excommunicavi-
nibilominus officio Sacerdotali fungi
ausus est. Quin etiam dissimulavit, quod
muni-